

P R D



1 6 1 3

Valentinus Andreas Molitor,
Cancell. Hal. Sax. M.
April 1670.

Xn 6 Q

THEMATA MEDICA, 11.
DE MORBIS
CONTAGIOSIS, DE
SCORBUTO, DE ICTERO, DE
*destillationibus ex capite, de euacua-
tionum generibus.*

De quibus Præsidente

CASPARO PEVCERO,
PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ
DOCTORE, PVBLICE DISPVTABVNT,
accepturi testimonium profectus sui in doctrina &
vsu Artis Medicæ:

M. Salomon Albertus Noribergensis,
M. Iohannes Leeman Ileburgensis,
Hieronymus Drachstet Hallensis,
M. Caspar Connerding Hildesianus,
M. Gregorius Heilandt Cicensis,

*D. IX. Cal. Maij. VVitebergæ in Lectorio Colle-
gij Maioris, Mane hora septima.*



Typis Clementis Schleich &
Antonij Schön.

M. D. LXXIIII.

T H E M A T A.

M. Salomon Albertus Noriber-
gensis.

De morbis contagiosis.

I.

ET sunt morbi totius substantiae, & rectè collocan-
cantur inter morbos similes.

I I.

Vocamus autem morbos totius substantiae, qui pri-
mum ac per se non modum substantiae, nec temperamen-
tum, neq; ex his ortas qualitates aut δυνάμεις manifestas,
sed spiritum insitum nativumq; calorem & δυνάμεις for-
mae proprias ac proximas oppugnant, ac nisi mature co-
herceantur & extirpentur, destruunt.

I I I.

Ex his alij sunt manifesti, alij occulti: Manifestos
vocamus, quorum & natura conspicua est ac nota, &
obviae sunt causae.

I I I I.

Duo horum genera, nimirum excessus defectusue
summus primarum qualitatum: aut putredo simplex
partium.

V.

Excessus caliditatis, quid efficiat, id spectatur in
gangraenis ex vehementissima inflammatione, incipien-
te iam partiū corruptione, quae confirmata abit in Spha-
celum

celum. Item in partibus Caetero adustis, in corporis totius feruore, ex usu immoderatiore eorum, quæ sunt $\delta\eta\lambda\eta\tau\acute{\eta}\rho\iota\alpha$ $\tau\omega\delta$ $\pi\acute{o}\sigma\omega$, Vt sunt Thapsia, Euphorbium, Tithymalli, Scammonium, Anacardia &c.

V I.

Excessus frigiditatis spectatur in $\nu\epsilon\kappa\rho\acute{\omega}\sigma\alpha$ ex penetrabili frigore, ex frigidorum usu immodico, quæ sunt $\tau\omega\delta$ $\pi\acute{o}\sigma\omega$ $\delta\eta\lambda\eta\tau\acute{\eta}\rho\iota\alpha$. Vt sunt Hyoscyamus, mandragora, cicutia, opium.

V I I.

Deficit calor consumptus vigilijs, laboribus, doloribus immodicis. Extinguitur strangulatu.

V I I I.

Putredo simplex est corruptio calidi natiui & proprii in humido à calore alieno, quæ finem vltimum consecuta dissoluit mixtum in cænum ac cineres.

I X.

Occulti morbi præter manifesta vitia, habent aliquid malignitatis occultæ, quæ neq; ex materia aut temperamenti vitio profecta, neq; ab obuijs & notis contracta causis, toto genere tamen substantiæ corporis aut partium aduersatur.

X.

Ex his alij contagiosi sunt, alij venenati. Contagiosi concipiuntur & propagantur contagio. Contagium autem est qualitas, toto genere præter naturam, putrida,

A ij habens

habens $\alpha\upsilon\tau\acute{\alpha}\theta\acute{\alpha}\rho\iota$ ad corpus humanum, aut ea, quibus
constat, & quæ in eo continentur, tam Formalem quàm
Materialem, quæ in quibusq; corporibus analogis, quibus
imprimitur, efficit sui, id est, principio simile, quo rursus
alia analogia corpora inficiuntur, vt hoc modo ex vno
principio disseminetur ac dispergatur in innumera.

X I.

Venenatos morbos infert Venenum, vel assumptum,
vel immissum forinsecus.

X I I.

Communia sunt veneno & contagio, quod contagio
sæpe venenatae virulentiae aliquid coniungitur, quod v-
trunq; $\alpha\upsilon\tau\acute{\alpha}\theta\acute{\alpha}\rho\iota$ habet ad corpora humana, tam forma-
lem quàm materialem, sed sui generis vnumquodque,
quod eodem modo propagantur, aut contactu, aut fomi-
te, aut halitu, aut alteratione mediij, nimirum, vno modo
ex his pluribusuè.

X I I I.

Differunt, quod contagium, quatenus est contagi-
um, siue sit adhuc in principio suo, siue communicatum
alteri, semper est toto genere præter naturam, & putre-
dine gignitur. Venenum per se & secundum naturam
est, et suo principio cui inest, naturale, sed fit toto genere
præter naturam corpori infecto, ad quod habet $\alpha\upsilon\tau\acute{\alpha}\theta\acute{\alpha}\rho\iota$.
Deinde contagium omne gignit in corpore infecto sui
simile. Venenum tantum corrumpit, ideo venenis im-
buti

buti, ad alios contagiosi non sunt. Deniq; contagium
 ut putredine procreatur, sic eadem propagatur, quæ
 quidem putredo simplex non est, sed ex noua fortiq; mi-
 stione in materia conclusa lenta ac sordida, vi putridi
 caloris aliud procreat, ut sunt in hoc morborum genere
 αέρματα seu μιάσματα σήπεδονώδη & seminaria contagij.
 Venenum non omne putredine interimit.

XIII.

Contagiosorum morborum alij singulares sunt &
 dispersi, ατομάδικα νοσήματα. Alij communes, κοινὰ νοσή-
 ματα. Singulares sunt, quibus alius alium contaminat,
 absq; communi & vniuersali causa. Horum alij sunt
 certarum partium, ut Ophthalmia, Coryza, epilepsia
 quedam, Achores capitis, phthisis. Alij sunt totius
 corporis, ut scabies, seu ψώρα & lepra Græcorum, Ele-
 phantiasis seu lepra Arabum, Morbus Gallicus, hydro-
 phobia ex morsu rabidi canis.

XV.

Contagiosi communes causas habent in aëre, aquis
 & locis, ex natura regionis, in victus ratione, ex rebus
 terra nascentibus, in aëre infecto è cælo vel ab inferiori-
 bus. Duo horum rursus sunt genera. Quidam enim
 indigeni sunt, ἐνδημα νοσήματα, quidam populares, ὄσοι
 ἐπιδημιοί.

A iij Indigeni

XVI.

Indigeni certorum locorum incolis peculiare ac proprij ex natura regionis, aëris, aquæ ac locorum, vel ex consueto regionibus victu causam trahunt & originem. Huius generis est Scorbutus in his regionibus, Phtisis Lusitanis.

XVII.

Populares ex rerū terra nascentiū, locorum, aquarum & aëris præter naturam constitutione oriuntur.

XVIII.

Horū alij sunt maligni, sed non verè pestilentes: alij sūt verè pestilētes. Maligni nō verè pestilētes, et si ἀφορμῶν habent in nostris corporibus, seu à prima origine, seu ex victus ratione deinceps contractam, in corpore idoneo tamen plerunq; excitantur à causis externis & communibus, ut ab exuberantia in aëre primarum qualitatum aut à crebris, subitis ac vehementibus aëris tempestatumq; mutationibus, aut ab aliqua analogâ constitutione.

XIX.

ἀφορμῶν ab exortu primo & à natura profectam habent febres, quæ in Exanthemata & Ecthymata erumpunt. Ex ratione victus contractam ἀφορμῶν habent febres, quæ Lenticulares vocantur, à maculis lentium similibus, & aliæ pestilentibus affines.

Verè

X X.

Verè pestilentes causas profectis è cælo aut terra terrenisue discernuntur in ἐπιεικείας & ὀλεθρίας, in mitiores & prorsus perniciosos. Etsi enim utriusque in Carbunculos, bubones aut pustulas erumpunt, veneni tamen par vis non est in utrisque, ut nec causa eadem.

X X I.

Illorum origo ab inferioribus existit, ex ijs quæ terra nascuntur infectis, aut ex aëre à putridis inquinato completoque halitibus, qui vel ex stagnis, paludibus, lacubus, vel ex graui et inquinata terra, vel ex antris, specubus, barathris, vel ex animantium & serpentium, ac hominum maximè, non crematis bello cadaueribus, & fecibus atque excrementis eorundem, vel ex euulsis stirpibus venenatis, sed his omnibus putredine corruptis, effumant atque in aërem dissipantur.

X X I I.

Perniciosi plurimos ac celeriter iugulant, & excitantur à cælestibus causis, nimirum, cum infausta commixtio stellarum maleficarum inficit & corrumpit inferiora corpora.

X X I I I.

Venena tota substantia, quæ aut natiua sunt, è fossilium, animantium & plantarum quarundam corporibus: aut facticia, etsi temperamento calida, frigida, humida, sicca sunt, non his tamen qualitatibus solis, nec
modo

modo substantiæ, sed alia vi validiore & formæ propria
substantiam corporis humani oppugnant.

X X I I I I.

Curatio in his morbis præcipuè ad contagij, aut ve-
neni naturam dirigitur, nimirum vt vis horum franga-
tur, aut extinguatur antidotis, alexipharmacis & ale-
xiterijs, vt à corde præmunito & alijs principibus mem-
bris depellantur, vt è toto corpore eijciantur, vt è pro-
fundo ad summum extrahantur & consumantur, topicis
idoneis, frictionibus, vinculis, cucurbitis, cum & sine
scarificatu, medicamentis attrahentibus, Emplastris,
Dropacibus, Sinapismis, phænigmis, Vesicatorijs, cau-
terijs actu & potentia vrentibus ac similibus, ita tamen
ne vel vniuersalia intermittantur, vel negligantur cau-
sæ antecedentes, ad quas contagium aut Venenum ana-
logiam habet, vt recte curentur vlcera, quæ relinquin-
tur.



M. Iohannes Lehman Ilenburgensis.
DE STOMACACE ET SCELETYRBE,
seu de vulgo vocato Scorbuto.

I.

ΣΤΟΜΑΚΑΚΗ & ΣΚΕΛΕΤΥΡΒΗ apud Plinium nomina sunt à Symptomatis sumpta eius morbi, quem vulgo vno nomine Scorbutum vocant, Gingiuas enim & crura præcipuè infestat. Apud Medicos veteres nomen non habet.

I I.

Stomacace oris vitium est, quo innadente gingiue cum pruritu mutant colorem à naturali, dolentq, facie simul ex pallore liuescente aut nigricante. Vitio auge-
scente, tumor laxus fluidusq, & putredo gingiuas obsi-
det, oris fetorem afferens, & carnem exulcerans, con-
summensq, interdum ad radices dentium vsq, vt vacil-
lent hi utrobique & excidant.

I I I.

Sceletyrbe maculis sese exerit in cruribus semper, rarissimè in femoribus aut reliquo corpore, quæ initio nonnunq, aliqua vestigia sanguinis referunt, sed plerūq, amplæ, plumbeæ, liquidæ, purpureæ, aut nigredine ob-
scure visuntur, & sæpè in totas tibias ad pedes vsq, cum tumore sese diffundunt, sed non sæpè ad exulcerationem perueniunt. Malum cum ingrauescit, neruis rigentibus aut contractis, ambulandi facultatem impedit aut adi-
mit.

B

Vtrumq,

I I I I.

Vtrumq; Symptoma ad idem consequitur morbi genus, Nimirum ad lienem vicioso humore Melancholico aut sincero, aut cum pituita mixto obstructum vel impletum.

V.

Causa interna proxima est vitiosus humor, Melancholicus, redundans in liene & venis, solus, aut cum pituita, putredinis non planè expers cuiusdam, unde quandoq; lentam & erraticam febrem comitem habet, de quo humore, quæ sursum effertur, pars tenuior inficit & inquinat gingiuas, natura molles, quæ crassior est subsidit in tibias. Rarius enim cum sanguine in omne corpus insignis eius humoris copia distribuitur.

V I.

Contrahitur frequentissimè aut ex aëre corrupto regionis, qualis est in locis palustribus, vliginosis, maritimis, victuq; prauo & putredini obnoxio, Melancholico, qualis est in regionibus Septentrionalibus nauticus, aut primo exortu à parentibus infectis, aut contagio.

V I I.

Augetur anni constitutionibus accommodatis, præsertim autumnalibus & hybernis, vigilijs, laboribus immodicis, aut intempestiuis, affectibus animi, curis, suppressione consuetarum euacuationum, febribus præcedentibus. Plinius causam tribuit aquæ fontis cuiusdam in Germania.

Causæ

V I I I.

Causæ morbi, id est, redundantia humoris Melancholici sui euacuationem exigit, quæ fit Phlebotomia moderata Venarum Spleneticarum in brachio sinistro, pro-
uocatione hæmorrhoidum, et lenibus purgationibus præ-
parati humoris, ex interuallo repetitis.

I X.

Morbus ipse, id est, obstructio apertionem desidera-
rat, quæ fiat familiaribus remedijs visceri & humori
accommodatis, sed præmissis euacuationibus.

X.

Laxitas & putredo gingiuarum coherceatur ijs,
quæ adstringunt, abstergunt, desiccant & putredinem
reprimunt, absumunt aut depascuntur etiam quod est
superfluum.

X I.

Maculæ pedum eluantur aut extergantur ijs, quæ
attenuant, rarefaciunt, digerunt, euacuant humorem cu-
ti suffusum.

X I I.

Ulceræ extersionem sui mundificationemq, remotis
omnibus, quæ coalitum impediunt, deinde incarnatio-
nem, ultimo cicatricis obductionem requirunt.



Hieronymus Drachsteth Halensis,

DE ICTERO.

I.

Affectionem corporis, quam ἰκτερός Græci, eam Latini itidem icterum & auriginem seu auriginosum morbum, & arquatam, & regium morbum vocarunt. Icteri nomen à symptomate sumptum est, nimirum à colore corporis citrino, quod symptoma è genere est affectuum corporis simplicium & quidem visibillum.

II.

Etsi autem icteri nomen absolute & simpliciter illi soli affectioni tribuitur, in qua cutis flavescit ex suffuso humore bilioso, plures tamen eius sunt species, quæ discernuntur ut causis continentibus, sic coloribus, Nimirum, ἰκτερός & μέλας, in quo liuet ac nigricat cutis, ἰκτερός & μελάγχλωος, in quo eadem colorem ex atro liuidoq; mixtum ac porri similem præ se fert, confusis inter se humoribus atro flauoq; aut sanguine vi veneni corrupto.

III.

Fit igitur icterus bile flava simplici aut venenata vel humore Melancholico, vel utroq; ad summa corporis effuso, cutemq; inficiente, sed absq; putredine & feruore.

IIII.

Cum ergo expulsio illa fiat aut vi ac robore naturæ superantis morbum, aut eadem irritata & quasi coacta vi

vi morbi aut causæ morbi, ideo icterus alius criticus est,
alius symptomaticus.

V.

Causa continens est humor vel biliosus vel Melan-
cholicus, vel uterq; mixtus, etsi rarius hoc malum est,
vel venenatus.

V I.

Causæ externæ vel euidentes icteri citrini, quæ ca-
lorem acuum in Epate, & bilem augent atq; coaceruant,
sunt, aër ardentior ex quacunq; causa, Victus biliosior,
immodicæ Vigiliæ, immoderata exercitia & similes.
Nigri: aër impurior crassiorq;, qualis est in palustribus
& subterraneis atq; conclusis locis, Victus Melancholi-
cos humores procreans et adaugens, mæsticia animi. Ve-
nenati: Venenum epotum, ac admorsus virulentæ be-
stie, cuius veneni vi sanguis infectus corrumpitur, ad
eum modum, vt bilem colore æmuletur.

V I I.

Internæ causæ frequentiores icteri sunt in epate,
folliculo fellis, aut totius corporis habitu. Epas fit causa
icteri, aut intemperie calidiore laborans, aut obstructum,
aut inflammatum, aut scirrho obsessum: Folliculus fel-
lis si bilem præ imbecillitate, aut non admittat excipiat-
ue, aut non expellat, aut si impletus ita turgeat, vt succe-
denti locus non sit amplius, aut si ductus ex sese $\chi\omicron\lambda\eta\delta\omicron\varsigma$
 $\chi\delta\varsigma$ vel $\chi\omicron\lambda\alpha\gamma\acute{\omega}\gamma\varsigma$ habeat interclusos obstructione: Ha-
bitus totius corporis, si intemperies calida tanta eam oc-

B iij

cupat,

cupat, ut sanguinem in venis adurendo biliosum efficiat.

V I I I.

Icteri nigri causæ internæ sunt in iecore debilitas expultricis, in liene attractricis, obstructio Venarum vel deducentium humorem Melancholicum ex iecore in lienem, vel eundem expurgantium in Ventriculum & alium, unde regurgitari eum in Epate necesse est. Præterea copia humoris Melancholici vel in sanguine & iecore exuberans, adeo ut expurgari à liene nequeat, vel ita infarctæ lieni, cum vel sine tumore, ut amplius ille admittere vel excipere nequeat.

I X.

Lacessunt & adigunt naturam ad expulsionem copia, ardor, acrimonia vel malignitas humorum, aut obstructio vel simplex, vel cum intemperie calida, Phlegmone aut Scirrbo.

X.

In curatione icteri primùm causa tollatur, postea icterus ipse, nisi causa in Epate alia nulla sit quam intemperies calida. Tunc enim simul & intemperies corrigatur, alterantibus ac roborantibus contrarijs, & alienus color cutis deleatur ijs quæ aperiunt, laxant, detergunt, ac dissipant intus forisq̃.

X I.

Phlegmone & scirrbus peculiarem vterq̃ sibi curationem vendicat, quæ alterius est loci.

Obstru

XII.

Obstructio apertionem flagitat. Si crassus aut viscidus sit humor, seu calidus seu frigidus, aperiatur ijs quæ attenuant, incidunt, detergunt, quibus iungenda sunt quæ familiaritate quadam naturæ idem faciunt, ex utroq; genere remediorum calido & frigido, sed in calida causa. In frigida verò ex calidis præcipuè, progrediendo paulatim ad fortiora.

XIII.

Si Plethora adsit aut intemperies calida Epatis, & Phlebotomia fiat in dextro brachio, & hæmorrhoides, ac mulieribus menses prouocentur. Si purgatione fuerit opus, non fiat illa nisi prius ante & humore concocto ac præparato, & effracta ac soluta obstructione.

XIIII.

In ictero nigro copia humoris Melancholici in liene vel Epate vel utroq;, Phlebotomiam in sinistro dextro uè vel utroq; brachio, itidem hæmorrhoidum prouocationem, & euacuationem concocti præparatiq; humoris, obstructio verò & has ipsas & apertionem sui flagitat. Si pertinaciter medicamentis morbus resistat, repetantur & acuantur remedia, &c.



THEMATA
DE DESTILLATIONIBVS
EX CAPITE.

M. Caspar Connerding Hildesianus.

I.

Destillationem superuacui humoris è capite, in subiectas partes, Hippocrates generis nomine ῥόον seu ῥῶρ. Interdum & Catarrhum nominat, vt Iuniores pleriq, & Coryzam etiam specierum nominibus, aliqui ῥεῦμα & κατασαγμὸρ vocant.

II.

Nam cum ad plures partes ferri soleat destillatio, veteres obseruato quidem defluxus, ac terminorum discrimine, non omnibus tamen peculiari nomine distinctis, eam solam quæ in Nares irruit Coryzam, quæ Laringem & asperam Arteriam imbuit, ῥόγχον & ἀσθητικὸν πᾶθος, à raucedine nominarunt. Iuniores etiam eam, quæ in Gurgulionem decumbit κίονα, & σαφυλῶν: quæ in Glandulas, Amygdalas, siue Tonsillas, ἀνὰ ἀσπᾶς: quæ in loca his vicina, ῥιζιδμῶν: quæ in musculos, κωάγκω vocarunt, vocabulis apud veteres latius patentibus.

III.

Est autem destillatio, è genere τῶν ἐκκρινόμενων, cuius efficiens causa proxima, est læsa actio capitis, id est concoctio: Debilioris concoctionis causa est cerebri imbecillitas,

becillitas, seu per se, & præcipuè ex frigidiorè & hu-
midiorè Intemperie, seu per accidens ob alimentum im-
moderatius, aut minus conueniens, aut intempestiuè, &
sine ordine sumtum, vel ex alijs causis, quibus coctio im-
peditur, aut cerebrum læditur.

III I.

Materia ergo seu causa continens destillationis, est
excrementum Capitis humidum.

V.

Efficiens causa est gemina, vna quæ gignit & coa-
ceruat, altera quæ mouet & impellit materiam.

VI.

Excrementum ipsum, Naturam cerebri refert, &
cognatarum partium, neruorum & membranarum,
cumq; sit pituitosum, ac ferè dum fluit tenue, aquosum,
dulce, sero persimile, ex substantia Cerebri Neruorumq;
& membranarum natura tamen, lentorem contrahit,
quæ augetur calore, sed si retineatur diutius, vel densa-
tum crassescit, vel salsam vel acrem qualitatem adipi-
scitur, & coaceruatur tum intra, tum extra cranium, &
vtrubiq; extra vasa.

VII.

Causarum tam generantium & congerentium,
quàm impellentium iam congestum excrementum, Aliæ
Internæ sunt, aliæ Externæ & euidentes. Inter
gignentes internas, præcipua est cerebri imbecillitas,
seu per se, seu per accidens, ac creberrima quidem &

C

Vali-

validissima frigidior & humidior cerebri intemperies.

VIII.

Suppeditant materiam internam, & augent excrementum, cum in ipso capite caliditas aliena, attrahendo ex vicinis partibus, plus quam sit ex usu aut quam à frigidiore cerebro concoqui aut consumi possit, tum corpus vniuersum, & partes singulae, è medio, imoq; ventre, transmittendo vaporum molem, assiduo expiratu, ac maxime quidem officinae coctionum, ventriculus imbecillior, Epar seu calidius seu frigidius, sed penè magis frigidius, venae, intestina, vterus in mulieribus. Efferuntur autem vapores ad Cerebrum per euidentes & occultos meatus.

IX.

Externam materiam suggerunt gignendo, augendoq; Excrementum, aër humidior, ex natura loci, aut Regionis, Temporis anni, constitutionis caeli: Humidior & Intemperantior victus, & multus usus eorum quae caput implent, aut turbant, leduntq; coctionem Stomachi, otium, somnus prolixior & intempestiuus, Intempestiuae vigiliae, suppressiones Excrementorum, Expulsiones eorundem per superiora, vomitione è ventriculo, tussi è pectore, & plures aliae.

X.

Mouent & Impellunt materiam coacervatam similis

militer cum Internæ causæ, vt copia Excrementi re-
plendo grauandoq; vel acrimonia aut salsedo eiusdem
pungendo, mordicandoq; irritans. Tum Externæ,
vt calor colliquefaciens, frigus exprimens, balneum lax-
ans, affectus animi, exercitatio agitans, aut perturbans.
Quodq; accipit ab inferioribus, hoc reddit eis cerebrum,
cœli instar, similiter per patentés, laxosq; meatus, aut
cæca & sensum fugientia spiracula.

X I.

Mota autem ac defluens materia in alijs, ad alias
subiectas partes defertur: Illa quidem, quæ intra cra-
nium continetur, ad interiores partes defertur, nimirum
vel ad Nervos, vel in Nares, Aures, aut Oculos, vel per
Palatum, quo frequentissimè & vsitatissimè è Cerebri
Ventriculis com meat, in fauces aut faucibus adiunctas
& compræhensas partes, vel inde vltèrius proruens, in
Laryngem, asperam Arteriam, Pulmones, aut Oesopha-
gum, Stomachum, Intestina, Iecur, Lienem præcipita-
tur.

X I I.

Altera vero extra Cranium, in oculi exteriores par-
tes: in maxillas, dentes, cervicem, glandulas colli, sca-
pulas, brachia, latera, dorsum, lumbos, coxendicem, cru-
ra, In omnes deniq; membranas, musculos, & articulos
corporis dissipatur, & cum omnis Arthritidis, tum &
C ij dolorum

dolorum & tumorum pituitosorum fit causa in exter-
nis partibus. Ex tenui enim & aquosa pituita, ca-
lore mucida, ex hac albuginea, inde vitrea, gypseaq;
procreatur.

XII.

προφυλακῆ causis antecedentibus internis medetur,
inter quas cum primo ac præcipuo loco, sit capitis totius
aut in capite cerebri imbecillitas, vel vtriusq; totius &
partis, & vtrobiq; extra intraq; cranium, præter natu-
ram redundans pituitosum excrementum, Hoc quidem
sui coctionem & euacuationem, quæ fit multis modis:
Purgando, Reuellendo, Deriuando, Desiccando: Illa
vero alterationem & roborationem partis exigit.

XIII.

θεράπειε destillationem ipsam, pro ratione partis,
ad quam fertur, concoquendo, euacuando, reuellendo,
deriuando, sistendo, sedat, compescit aut minuit.



THEMATA
DE EVACUATIONIBVS.
M. Gregorius Heiland Cicensis.

I.

Kαθαίρεσις Hippocrati omnem superflui è corpore hu-
mano vel eius partibus detractiōem significat, seu
solidum id sit, seu liquidum, Sed liquidorum detractiō
eidem κένωσις est, & κενεαρχία, id est vacuatio.

I I.

Vacuatio ergò est liquidorum, quæ præter natu-
ram in corpore continentur expulsio, spontè facta, vel
prouocata arte aut medicamentis.

I I I.

Huius generis sunt tam humores succiq; nutritio-
nis causa comparati à natura, quam περιττώματα Vtraq;
κατὰ & παρὰ φύσιν, si aut quantitate modum mensu-
ramq; naturæ conuenientem excedant, aut à natura suæ
speciei ac temperamento, vicio substantiæ vel qualita-
tum alienarum degenerent.

I I I I.

Comprehenduntur hæc vicia sub Plethoræ & Ca-
cochymia nomine, & emendantur, Plethora quidem va-
cuatione, quæ sic generis nomine appellatur, Cacochymia
verò purgatione, quæ est κάθαρσις Hippocrati &
φαρμακεία.

C ij

Vtri-

V.

Vtriusq̄ tam vacuationis in specie, quam purgationis, duo statuuntur prima genera, vniuersale vnum, particulare alterum.

V I.

Vniuersalis vacuatio ex vniuerso corpore superfluum exhaurit & absomit, insensibili expiratu, sudore, profusione sanguinis, vomitione, aut alui subductione per medicamenta cathartica. His quinq̄ generibus complectimur reliquas differentias, quibus illa efficiuntur. Vt insensibili expiratu euacuant, inedia, vinctio, frictio, exercitatio, æstus, vincula, balneum &c.

V I I.

Particularis vacuatio educit ex vna aliqua parte, quod superuacaneum est, & præter naturam. Ex hoc genere sunt, euacuationes, quæ fiunt cucurbitis, scarificationu, cornibus, hirudinibus, attractorijs medicinis, causticis, errhinis, apoplegmatis, bechicis, diureticis, hystericis, balanis, chysteribus, & similibus.

V I I I.

Rursus tam vniuersalium quam particularium vacuationum illa simplex est, quæ viciosum humorem nondum motum aut agitatam, sed adhuc quiescentem, vacuat.

I X.

Altera ἀντιώσσις seu reuulsio dicitur, qua incitati humo=

humoris, & vel extra vel intra corpus iam ruentis im-
petus, retractatione in contrarium, & quidem ad remo-
tissima inhibetur ac sistitur.

X.

Tertia, παραχέτισις, vocatur seu deriuatio, qua il-
lapsus iam humor in partem aliquam, inde transfertur
ad aliam vicinam, vt per eam pars oppressa exonere-
tur.

X I.

In Antispasi igitur obseruari necesse est accuratè
oppositionem contrariorum terminorum. Fit enim om-
nis αντίσπασις, aut à summis ad ima, aut à dextris ad si-
nistra, aut ab anterioribus ad posteriora, aut ab internis
ad externa, seu è centro ad circumferentiam, vel econ-
uerso.

X I I.

Plethoræ vtriq; tam ad vires quàm ad vasa, nisi
quid obstet aliud, commodissimè auxiliatur sanguinis
profusio, quæ cum non sit vnius generis, præcipuum ta-
men præsidium est à Phlebotomia.

X I I I.

Purgatio quæ arte fit, instituitur medicamento
certum humorem & proprium familiaritate naturæ
trahente.

X I I I I.

Sed cauendum ne crudi humores moueantur, non
expe

expectata coctione. De qua Hipp. concocta medicari
atq; mouere, non cruda, neq; in principijs, modò non tur-
geant. Plurimum verò non turgent.

X V.

In acutis morbis tamen inter initia etiam pur-
gantibus vti, & cum morbi incipiunt, mouere, si quid
mouendum videtur, concedit Hippocrates. Eòq;
accelerandum magis auxilium & acuendum videtur,
quò fuerit morbus acutior, ex alio Hippocratis præce-
pto. Extremis morbis extremè exquisita remedia opti-
ma sunt.



Addantur ad propositionem XIII. post verba:
Ideo venenis imbuti ad alios conta-
giosi non sunt,

Præterea etsi eodem modo propagantur Contagia &
Venena, tamen non eodem modo prorsus concipiuntur
Nam contagia adhæsi et inspiratione tam insensibili quàm
sensibili, quæ per pulmones fit: Venena non hoc modo tan-
tum, sed morsu etiam, ictu & obtutu concipiuntur.

Cl. 4307.8. 4

ULB Halle

3

002 370 387



TA-OL

(Titel 16 u'


17 muß

durch Handschriften

abt. erfasst werden

17. 10. 99 J. Ste)

VD17



11.
THEMATA MEDICA,
DE MORBIS
CONTAGIOSIS, DE
SCORBUTO, DE ICTERO, DE
destillationibus ex capite, de euacua-
tionum generibus.

De quibus Præsidente

CASPARO PEVCERO,
PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ
DOCTORE, PUBLICE DISPUTAVIT,
accepturi testimonium profectus sui in doctrina &
vsu Artis Medicæ:

M. Salomon Albertus Noribergensis,
M. Iohannes Leeman Ileburgensis,
Hieronymus Drachstet Hallensis,
M. Caspar Connerding Hildesianus,
M. Gregorius Heilandt Cicensis,

D. IX. Cal. Maij. VVitebergæ in Lectorio Colle-
gy Maioris, Mane hora septima.



Typis Clementis Schleich &
Antonij Schön,

M. D. LXXIIII.